

Nullum est validum argumentum quo vis auctoritatis Hieronymi in hac re infringatur. Obiicitur quidem canon 8^o Conc. Arelatensis I (De Afris quis propria lege utuntur ut rebaptizent placuit etc.) qui testatur sua aetate h. e. sub initium 4ⁱ seculi perseverare in Africa morem rebaptizandi. Verum 1^o non est opus illum canonem intelligere de omnibus Afris, sed de iis tantum qui rebaptizabant, cuiusmodi erant Donatiani: 2^o imo nequit intelligi universim de Afris: nam constat sub Melchiade, cum causa Donati et Caeciliani ageretur in Concilio Romano, damnatum fuisse Donatum « quod confessus sit rebaptizasse... quod ab Ecclesia alienum est », ut refert Optatus adv. Parmen. L. I. c. 24: ergo consuetudo rebaptizandi non erat Caeciliani et catholicorum, sed haereticorum; secus et Caecilianus damnatus fuisset, vel si communis et tolerata erat consuetudo, non fuisset damnatus Donatus. Ex quo rursus patet labente seculo tertio non exstitisse penes catholicos in Africa consuetudinem rebaptizandi; quod argumento est circa medium eiusdem seculi h. e. sub Cypriano, seu paulo post abolitum fuisse decretum baptizandi baptizatos ab haereticis. Licet ergo nobis in hac re fidem Hieronymo testi adhibere, qui cum Romae iam commoratus fuerit, ibique baptizatus, potuit hanc notitiam accipere a clero Romano.

Pariter merito suspicione laborat Epistola Cypriani ad Pompeium. Nam si spectes quae in ea contra Stephanum effunduntur, Stephanus dicitur « haereticorum causam contra Christianos et Ecclesiam Dei asserere; dicitur « superba, ad rem non pertinentia, sibi ipsi contraria, imperite et improvide scripsisse ». Interrogamus non haereticos, quibus haec placere debent, sed viros historiam ecclesiasticam callentes, an probabile sit Romanum Pontificem, qui ceteroquin ab omnibus ut assertor fidei laudatur, in decreto edito pro causa fidei tuenda, nedum superba, sed quae ad rem non pertinent, quae sibi contradicant scripsisse, et imperite et improvide scripsisse? An ullum aliud huiusmodi responsum Romanae Sedis exhiberi potest? et tamen credendus est id Stephanus fecisse, cum pro ipso evidens ratio stabat. Mentitur ergo auctor huius epistolae, sicut haeretici mentiri solent; at nobis credibile non est mentitum adeo turpiter fuisse Cyprianum. Si spectes argumenta quibus auctor epistolae decretum Stephani impugnat; ea non solum nihil probant, sed praeterea malitiam manifestant arguentis qui data opera decreti verba sanissima in alienum sensum detorquet ut ea confutet. Dixerat Stephanus valere baptismum a quacumque haeresi venientium propter invocatam Trinitatem nomen Patris et Filii et Spiritus S. qua ratione excludebatur baptismus alia forma collatus: infert Cyprianus: « Cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit ut etiam de Marcionis

baptismo, item Valentini et Apelletis, et ceterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat Filios Deo nasci ». Dixerat Stephanus non esse baptizandos haereticos cum et ipsi ad se venientes non baptizent, confirmans nempe traditionis veritatem ex ipso consensu haereticorum; at auctor epistolae ita ea enarrat: « ad hoc enim malorum devoluta est Ecclesia Dei et Sponsa Christi ut haereticorum exempla sectetur, ut id faciant Christiani quod antichristi faciunt ». Ita ne pius et doctus Episcopus in re tanti momenti ludebat?

Confirmatur suspicio. Qui epistolam Firmiliani (cuius exemplar graecum nemo legit) ut genuinam habent eo quod in viginti sex codicibus inventa sit, volunt quoque ipsam latine redditam fuisse a Cypriano propter styli similitudinem, non est enim ovum ovo similis, et ab eo in Africam divulgatam (cf. notam Baluzii ad hanc epistolam inter Cyprianicas 75^m); in publicum nimirum protulisset Cyprianus ea turpissima vituperia in Romanum Pontificem, quae nec Doellingherianus aunderet. Porro satis aperta sunt argumenta quibus Molkenbuhr citatus vel persuadet, vel certe suadet eam epistolam suppositam fuisse Firmiliano: conferatur dissertatio citata. At si probabile est eam epistolam confictam fuisse, ruit vis argumenti illius quo probatur Cyprianus auctor epistolae ad Pompeium propter styli similitudinem: qui enim unam effingere potuit, potuit et aliam.

Augustinus pro certo habet Cyprianum pacem servasse cum Stephano; atqui fieri id non potuit si perrexit Cyprianus impugnare doctrinam Stephani: permisit ergo Cyprianus ut alii doctrinam Stephani sequerentur, et abstinuit ab eius impugnatione. Scilicet Cyprianus non amplius sententiam suam ut certam sicut prius defendit. Ergo aliqua mutatio in eo admittenda est. Porro si id concedi debet, neque est improbabile quod penitus cesserit Stephano.

Ecclesia Romana ab antiquissima aetate S. Cyprianum coluit, eumque speciali in honore habuit, ut in Canone Missae, quod paucissimis concessum, eius quoque nomen recitaret. At probabile nobis non est Ecclesiam Romanam Episcopum contumacem, decreto Romanae Sedis usque ad mortem refragantem non solum inter Sanctos propter martyrium sed inter eos quos speciali honore prosequeretur, collocare voluisse. Credant id qui putant Romanam Ecclesiam tunc temporis aliam de sua auctoritate habuisse existimationem quam nunc habet; sed nobis, quibus persuasum est Ecclesiam Romanam de se semper idem sensisse, illud nequit adeo facile probari.

Argumenta adversae sententiae superius relata non sunt demonstrativa. Primo iam factum est satis. Alterum est negativum, nec simpliciter verum, si Hieronymus non flocci fiat. Ad tertium iam respondimus n. II. Ad quartum negamus quod semper creditum sit

Cyprianum a sua sententia nunquam discessisse; quod autem plures critici catholici opera omnia controversa ut genuina admiserint, putamus id factum esse potius ratione quadam oeconomica, ne scilicet crederent haeretici Catholicos de sua causa desperare, si ea omnia vera forent; maluerunt scilicet catholici Scriptores uti methodo Augustini.

Qui ergo ex auctoritate Cypriani contra Primatum Romani Pontificis eiusque infallibilitatem vult argumentari, demonstrat prius certis argumentis (quod tamen etsi demonstraverit, efficit nihil) ipsum restitisse Stephano, nec unquam cessisse: si enim aliquando cessit, ipse errorem suum fassus est, suamque priorem inobedientiam improbavit. Quoad controversiam de baptismo haeticorum lege Emmanuelis Schelstrate in Antiquitate Ecclesiae illustrata dissert. 1. c. 5. et Augustini Orsi Dissert. de Baptismo in nomine Iesu Christi part. 2^m.

IV. Augustinus epist. XLIII ad Glorium aliosque Donatianos, ut ostendat Donatianos immerito conqueri de sententia adversus se lata Romae a Rom. Pontifice Melchiade cum aliis Episcopis, tanquam iniusta, haec inter alia habet n. 19: « Quasi non eis ad hoc dici posset et iustissime dici: ecce putemus illos Episcopos qui Romae iudicaverunt non bonos iudices fuisse; restabat adhuc plenarium Ecclesiae universae Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ut si male iudicasse convicti essent, eorum sententiae solverentur ». « Equidem (ait Gilbert Doctor Belga in Tractatu citato Disp. II. §. 5) nihil in universa antiquitate fortius, efficacius, et veritatis quam docemus (fallibilitatis scilicet R. P.) magis decisivum inveniri potest ». Patet enim a iudicio Romanae Sedis appellari posse ad iudicium Synodi universalis, et hanc superiorem esse Rom. Pontifice, cuius sententias rescindere possit, et quidem etiam in causis fidei, nam talis erat causa iudicata a Melchiade inter Donatianos et Caecilianum. Respondeo. Concesso Antec. h. e. Augustini testimonio, nego consequentiam, scilicet ex Augustini sententia vel Romanum Pontificem ex cathedra loquentem non esse infallibilem, vel concilium universale superius eo esse ut vim coactivam in ipsum habeat. Ratio negatae consequentiae haec est quia etiam admissa infallibilitate et superioritate Rom. Pontificis, potuerunt haec recte dici ab Augustino. Sane 1^o tenendum est quaestionem, in qua sententiam tulit Melchiades fuisse quaestionem facti, an nimirum vera essent crimina quae Donatiani Caeciliano eiusque ordinatoribus obiiciebant. Porro 2^o nemo dixerit in huiusmodi sententiis ferendis esse infallibiles Pontifices. 3^o Si quis non acquiescat tali sententiae, potest rogare ut idem iudex cum aliis assessoribus, ampliorique Synodo causam cognoscat; in qua Synodo si prioris sententiae iniustitia appareat, solvi ipsa certe potest

auctoritate potissimum eiusdem Pontificis. Haec nullo modo adversantur infallibilitati Pontificis, eiusque prae Synodis oecumenicis superioritati. Porro haec sunt quae Augustinum affirmare certo constat; neque enim de appellatione loquitur, neque clarum est ipsum negare priorem iudicem, h. e. Rom. Pontificem iudicem quoque esse debere in Synodo oecumenica. Licet enim formulas adhibeat quae proprie de reis non de iudicibus usurpantur (*cum ipsis causam agitari, si convicti essent*; ii namque quibuscum causa agitur, et qui convincuntur, rei sunt, vel actores), attamen improprie eas adhibere potuit Augustinus, quatenus cum prius iudicium retractaretur, priores iudices personam veluti reorum sub quadam ratione induebant.

Et sane an ignorabat Augustinus id quod eadem aetate Zosimus affirmabat Patribus carthaginiensibus epist. X: « Patrum traditio Apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribuit (h. e. agnovit et asseruit) ut de eius iudicio disceptare nullus auderet... tantum nobis esse auctoritatis ut nullus de nostra possit retractare sententia ». « Cuncta quippe per mundum novit Ecclesia (ait sub finem eiusdem seculi Gelasius epist. XIII ad Episcopos Dardaniae) quoniam Sedes B. Petri de omni Ecclesia fas habet iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio ». Cf. quae dedimus in Th. XVII.

THESIS XXXVI.

Neque ex eo, quod Romanus Pontifex ipse credere teneatur quod definit, consequitur ipsum unum definire non posse.

I. Ut quis *fide divina* credere teneatur, satis est ut ei certo constet Deum revelasse; ut autem quis credat *fide catholica* satis est ut ei certo constet ope magisterii Ecclesiae divinitus instituti Deum revelasse; hoc enim posito ipsa lex naturalis et divina obligat ad credendum. Atqui cum Romanus Pontifex ex cathedra est locutus, hoc posito facto, quemadmodum ceteris, ita ipsi constat per magisterium a Deo institutum quid Deus revelaverit. Poterat quidem ipse nolle definire, sed facta definitione, cui adfuit divina assistentia (quae non adfuisset si ille non definisset) iam infallibilis certitudo revelationis est independens ab eius voluntate. Ergo haec duo in uno subiecto componi possunt ut definiat, et credere teneatur.

Et sane Concilium ipsum definiens debet credere quod definiat; nec singuli tantum, sed universa Synodus, si universalem fidei professionem edere velit, debet et ea comprehendere, quae ipsa iam definiverat. Et re quidem vera si idem qui definit non teneretur credere, nec teneretur qui eidem succedens haberet eandem auctoritatem, unde Synodus sequens non teneretur decretis fidei Synodi